

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

- De subsidiis quibus eget res latina commentationes.** - IV.  
**De pugna inter veritatem et errorem in rebus theologicis epistola.**  
**Disputationes philosophicae Modernistam inter et Thomistam.**  
 De iudicio practico penitus inquiritur; seu de iudicio consilii et de iudicio executionis.  
**Stili lapidarii elementa.** — De inscriptionibus sacris. — De inscriptionibus honorariorum.  
**Scena maritima.**  
**Ex Italibz urbibus.** De Maria Chlotilde e Sabaudia gente, Victorii Emmanuelis II regis filia, vita funeta.  
**Paroemiae sive Adagia.** — Quid distent aera lupinis. — Procul a peibus equinis. — Fenestram aperire. — Mordere frenum.

- De obitu Beatae Virginis.**  
**Colloquia latina.** Petito Iusus.  
**Acta Pontificia.** SSmi. D. N. Pii PP. X Motu proprio de diebus festis.  
**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.** — Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congregatione Rituorum.  
**Diarium Vaticanum.**  
**Annales:** Mauritanie res. — Ex Orientalibus Europae regionibus. — Ex Perside.  
**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**  
**Per orbem.**  
**Librorum recensio** - (A. Weiss).  
**Aenigmata.**  
**Appendix:** Euplius.

## DE SUBSIDIIS QUIBUS EGIT RES LATINA COMMENTATIONES<sup>(1)</sup>

### IV.

Amatorem linguae latinae neminem esse credo quin interdum se roget quid caussae sit quod in hodierna nostra copia commentariorum crebris et statutis temporibus prodeuntium, quum quaelibet alia ars, quaelibet negotiatio, quodlibet studium consiliumve non modo libris suis maioris minorisve formae aliquando publicationibus doceat, verum singulis hebdomadibus aut saepius de rebus communibus ad socios alloquatur, latinitas, quae olim per priora saecula artis impressoriae paene omnia prela typothetasque occupavit, rarissime a librorum editione et paucarum praeterea rerum pro re nata typis mandatarum sollempni promulgatione ad ordinariam atque hebdomadariam actorum suorum annuntiationem transierit. Certo autem certius est neque incuriae doctorum, neque inertiae, hanc rem merito imputari; immo vero fieri omnino potest ut causae eius comprobare debeamus, etiamsi aliae iam rationes suadeant ut consuetudinem tamdiu inveteratam mutare velimus. Etenim in eo itinere quo ad meliora contendimus non ideo damnare priora viarum putamur, si novas semitas novis rebus postulari arbitramur. Primum ergo omnium statuere placet ubinam consistat hoc genus scriptioris quod hodiernae latinitati deesse affirmamus, deinde cur vel absit vel defecerit, tum quibus rebus adducti id nunc instaurandum esse censemus.

Multa sunt genera scriptorum e prelis hodiernis provenientium eaque variis modis inter se vel communia vel diversa; cuncta tamen satis facile in duas

classes dividuntur prout ad longius aut ad brevius mansura tempus conscripta sunt; alia enim vel ob pulchritudinem qua eluent vel ob doctrinam quam tradunt ad perpetuam memoriam typis exscripta esse videntur: alia vero leviori manu exarantur et quasi praetereuntium oculis destinantur, quae inter coenandum aut gestandum in manus sumuntur et semel perfecta abiciuntur. Illud genus scribendi librorum formam habere dicas, hoc ephemeredum.

Ephemerides enim nostri saeculi, praesertim eae quae cottidie eduntur, quamvis nec acumine quo conscribuntur, nec auctoritate qua pollent, nec denique gravitate rerum quas annuntiant illis scriptis cedant quae in bibliothecas doctorum pertinunt perpetuo servanda atque creberrime adeunda, tamen librorum statum dignitatemque nequaquam assequuntur, sed paucorum dierum spatio singulas editiones suas terminari patiuntur. Ingens est numerus exemplorum si quod *journal* vel *Zeitschrift*, vel quocumque placet uti nomine commemorare velimus. Occurrit animo ille *Tribunus Chicagensis*, ephemeris inter paucas clara et insignis atque tam legentium multitudine quam opibus et apparatu suo commentariorum huius urbis (ne dicam totius Americae) facile princeps; nulli libro nostri temporis certiores praedixerim immortalitatem. Tamen nemo, opinor, asservat editiones cotidianas aut priores quaerit, nova praesente. Cur? Quia quomodo corpora viva perpetuantur ephemerides, corpora autem quam diu vivunt particulas unde constant, ut physiologorum doctrina fert, nunquam non commutant, idque mira celeritate ac mobilitate. Vel fluminum modo currunt ephemerides: at flumina ita eadem semper esse dicimus ut ne per momentum quidem temporis aquas eorum stare intellegamus. Si immortalia nobis atque gloria sunt sacrae terrae flumina, nihilominus ipsae aquae

(1) Cfr. num. VI.

unde claruerunt dudum diffluxere et soli alvei iidem manent. Haec igitur de generibus.

Quae quum ita sint, liquido apparet quo factum sit ut hoc genere scriptorum, quod supra memoravi, latinae humanitatis cultores carerent. Quicquid elaboraverant in permanente specie collocare cuperbant. Considerate enim quantum et quale opus suscepserint ii qui, his quadringentis quinquaginta annis quibus ars typographica inventa est, Musas Latinas coluerunt. Primo ne exstare quidem auctores olim clarissimi videbantur, sed vel in bibliothecarum vetustiorum latebris iacebant inculti, vel in monasteriorum armariis tabescebant. Eruendi erant ex tenebris, clarius describendi, ad pristinam integritatem per codicum collationes, per coniecturas, per quaecumque suppetebant artis criticae subsidia restituendi; deinde explicationibus et scholiis illustrandi.

Sed haec industria pars tantum suscepti consilii fuit. Etenim ex diurna illa per medium aevum continuata latine loquendi consuetudine (quam ii tenuerant qui nec scientiam nec gustatum verae atque incorruptae linguae habebant) nova genera sermonis in usum vulgo irrepserant, quae nomine infimae latinitatis appellamus: haec omnia subtiliter detegenda et a cogitatione tironum curiose amavenda erant, si a falsis verborum significationibus litterae humanissimae liberandae et in proprium imperium restituendae essent. Ideo omne genus dubia moveri et solvi coepit, lexica particularia et generalia componi, leges et consuetudines grammaticae de integro pervestigari.

*Tantae molis erat Romanam condere gentem!* Verum enim vero eadem res ad nostra usque tempora, melioribus subsidiis et apparatu perfectiori cum maxime multorum gloria peragit, quum docti doctis succedant et nullus finis artium philologiarum cernatur ubi aliquando consistant. Quem tandem virum qui in grammatica diu elaboravit aut nihil de suo protulisse aut omnia perscripsisse putas? Cui doctori fidem sine modo habeas? Cuius labores aliena censura indigere infitieris? Scilicet non est metuendum ne nimis citio ad Ultimam Thulen perveniantur!

Attamen ut in re publica aliud est fines imperii proferre, aliud civilia regere, ita in humanitatis latinae studiis, alii summam doctrinam exaugere mituntur, alii haec modestiora at non minus necessaria exsequuntur praceptorum officia. Illi velut posteritati volumina scribunt, hi in levioribus atque momentaneis exercitationibus versantur; illi bibliothecas academicas monumentis locupletant; hi quaerunt unde classibus cottidianis prosint. Commentariis menstruis vulgari sermone conscriptis utrique abundant: praceptores autem aliquid plus requirunt, nempe linguae quam tradunt vocem saepius

in aurem de rebus instantibus susurrantem, admonentem, hortantem, eandemque consilia sociorum undique referentem.

Quod utinam nostra *Vox Urbis* hoc grato munere fungeretur, adiecta fortasse adnominatione ita ut *Vox Urbis et Orbis* audiret! Mentem certe habet eam quam his libellis toties commendavi. Quae, ut ipsa proloquitur, « usum latini sermonis per orbem universum tuetur ac fovet » et « scripta edit quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nuntiis et significationibus ad simplices et facili stilo expressas descriptiones, ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latina inire atque alere detur ». Proinde speremus fore aliquando ut accrescentibus opibus et auspiciis propitiis haec aurea ephemeras votis nostris annuere possit. Poterit autem si lectores satis multos invenerit, etiamsi subnotatio totius anni aut eodem constabit quo nunc aut non multo pluris. Etenim et plures homines venalia longe lateque per talem interpretem commendare volent et pluris officia eius facient. Nonne nos qui nunc temporis *Vocem* in magno honore habemus his conciliis opitulari possumus? En tot universitates et collegia artium humaniorum, tot scholae publicae et privatae, tot sacerdotes et docti viri quibus adhuc inaudita sit *Vox Urbis*. Ego non teneo memoria unde mihi innotuerit *Vox*; nisi fallor autem, in quodam libro memorabatur, quem anno 1904, Carolus André de usu sermonis latini scripsit, Universitatis Lugdunensis tunc alter a bibliothecario, postea bibliothecarius scholae Gallorum Atheniensis. Sed utut fuit, ego ab editore exemplaria *Vocis* statim petivi et nomen promisi si placuissent. Ne multa, accepi, inspexi, probavi, nomen cum pecunia laetus remisi.

Quid si invitabuntur socii ut nomina amatorum linguae latinae sibi notorum ad Editorem mittant? Quid si ultro amicis sua exemplaria monstrabunt? Non deerit praemium officii. Nam et amplior et crebrior prodire poterit ephemeras optima et universos studiorum humanissimorum cultores sermone gratissimo consociatos faciet uno ore latinos. (1).

*(Continuabitur).*

THEODORUS T. CHAVE.

(1) De humanissimis verbis et opere, quibus labores nostros clarissimus scriptor proseguitur, grates agimus et habemus. O utinam eius vota tandem aliquando secundentur! Quod ad nos attinet, omnes sciunt nos de re et fuisse et esse ad omnia pro viribus perielitanda paratos.

V. U.

*Illud te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quae in habitu tuo, aut genere vitae notabilia sint.*

SENEC., *Epist.* xlii.

# DE PUGNA inter veritatem et errorem in rebus theologicis

## EPISTOLA

### ARGUMENTUM.

Historiam errorum, quos verae Fidei adversarii protulere superioribus saeculis scriptor mente revolvens, omnia ita clara et aperta cognovit, ut plenam de cunctis hauserit notitiam. Contra ad illa veniens quae a novae Theologiae sectatoribus modo circumferuntur, tanta doctrinae fallacia, tanta sermonis obscuritate ita involuta ei visa sunt, ut saepe sensum detegere, iudiciumque efformare nullo modo potuerit. Quum vero non ignoret complures acumine ingenii et varietate doctrinae praestantes non solum ea sequi, sed strenue tueri, incertus in multis, animique anxietatibus exagitatus amicum rei Theologicae valde peritum ad se in villam invitat ut cum eo colloquatur, eiusque opinionem in multis exploret. Interea quae iam suo marte cognoverat exponit et, arrepta occasione, Pappi eiusdam lepidissimi hominis nec omnino illitterati, sententias et facetias enarrat.

#### I.

Martini cum sacra dies induxit ortum

Te rure expecto: mentem mihi plurima turbant  
Atque agitant animum, scriptis quae tangere possum  
Vix leviter: coram fari tune plura licebit.  
De rebus Fidei quantum sententia discors  
Seiungat mentes, facies quot sumpserit error,  
Et quales hinc inde vices notissima res est.  
Non secus ac dubios calles et caeca viarum  
Anceps qui sequitur nocturna obscurus in umbra,  
Ut primum caelo illuxit, male tuta relinquit  
Doctus iter melius, sic qui delusus oberrat,  
Ut verum novit, falso se protinus aufert  
Quo misere iacuit, mentemque ad cognita vertit.  
Sic erat in primis saeculis, cum luce serena  
Fulgebat divina Fides, quae nubila quamvis  
Interdum, haud tamen ut, prorsus viduata nitore,  
Cogeret errantes longo torpere veterno.  
Omine at adverso mendax irruptit Arius,  
Qui Christum non esse Deum male perditus aiens,  
Effudit semen messem quod protulit atro  
Infectam viro, timuitque exterritus orbis  
Ne genus humanum lethales manderet escas.  
Non secus ac posito torquentur spicula signo,  
Sic Christus signum quo convenere sagittae.  
Naturam binam, personas sed quoque binas  
Nestorius voluit, renuitque in Virgine veram  
Nosse Dei matrem. Sed contra huic obstitit alter,  
Personas habuisse duas qui ut iure negaret,

Unam naturam dixit. Male sanus uterque,  
Et pariter mendax. Strictis Macedonius armis  
Ausus sacrilegio trinum dissolvere Numen.  
Quae Leo, Pelagius, Felix, quae turba minorum?  
Quot nova molitus multis post Photius annis,  
Cum grave discidium fovit, populumque rebellem  
Artibus infandis Romana ab sede removit?  
Sed velut a viridi si caedas arbore ramos,  
Viva manet radix, quae rursus germina trunko  
Vere novo emittens, alios fert tempore fructus,  
Aevo sic illo minus infelicius ac nunc  
Multa negabantur; sed adhuc foecunda vigebat,  
Etsi laesa Fides, veri tutela et honesti  
Certus erat vindex summaque in sede tribunal,  
Quod posset recte quascumque abscindere lites,  
Errantemque gregem revocare ad pabula tuta.  
Cooperat interea glomerari nubibus aether,  
Et procul audiri sonitus fremitusque procellae  
Quae tandem irrupit maiorum causa malorum.  
Quem non Luterus subtili falleret arte?  
Doctrinam Christi edocuit, prout caelitus haustum  
Asseruit, puroque suos ceu fonte, repulsis  
Paucis, e sacris libris educere normam  
Vivendi iussit; viridi sed tetricus herba  
Reptabat coluber; viva nam tradita voce  
Sternens, librorum sincerum promere sensum  
Se penes arbitrium posuit. Sic unica norma  
Quisque sibi in rebus Fidei, lex una cerebrum  
Cuiusque, errori accessus aditusque reclusi.  
Unde hic qui fuerat privati iuris et exlex,  
Visus inexpertis certam sumpsisse figuram,  
Allexit mentes gratae novitatis amore.  
Tunc velut incubuit morbus cum lethifer urbi,  
Se rapide extendit, languent iuvenesque senesque,  
Plurima et hac illac sternuntur corpora tabo;  
Non messes, non arva iuvant, non florea rura,  
Non avium cantus, non dulcia murmura rivi,  
Non quotquot natura tulit solatia luctus;  
Undique singultus, gemitus, et mortis imago;  
Omnia pervadens sic late efferbuit error.  
Lutero insurgens magno Germania motu  
Plausit, Luterum sectata est Dania, sese  
Sub duce Calvino, per celos integra montes  
Helvetia his iunxit, tellus atque Anglica postquam  
Sordidus Henricus vetita ob divortia, vindex  
Iampridem Fidei, sed tune infestior hostis  
Decepit populum regis figmenta secutum.  
Tunc visae insonti suffusae sanguine glebae,  
Gestit et parto turpis regina triumpho.  
Innumerae errabant divulsae ex ubere gentes,  
Et lacrimis mater natos quaerebat ademptos.  
Causa mali interea, projecto impune cucullo,  
Implebat loculos iucunda uxore beatus:  
Cooperat ambitio, dederat lascivia finem.  
Zuinglius hoc idem, doctrina insignis et alter,  
Quem gravibus verbis nugando irrisit Erasmus.

Hic certe ille tuus lepide inter seria Pappus  
 Immiscens nugas, laeto dans ora cachinno :  
 « Ardebat miseri, quaerebant ossa levamen !  
 » O Dulcine, tuis qui sacra repagula frangis,  
 « Ut per te cunctis eadem medicina paretur,  
 « Nonne foret satius causam praecidere morbi,  
 « Ferroque.., at praestat linguam cohibere procacem ». .

Devius a vero tamen est sibi consonus error,  
 Unde opus aggreditur vanum qui, tramite recto  
 Deflectens, medio tentat consistere lapsu,  
 Atque horret deducta sequi. Res digna theatro  
 Tunc visa. Insurgens verbis nam Flaccus acerbis,  
 Libertas si hue usque datur, cur non datur ultra ?  
 Clamat: certam tibi si praescribere normam  
 Fas fuit, abiecta veteri, cur non ego possim  
 Sancire hanc aliam ? Sed contra Herennius illi :  
 Si ratio sua iura petit, cur terminus haeret ?  
 Vincat libertas, ratioque humana triumphans  
 Se expeditat vinclis, quae a caelo exordia ducunt,  
 Per varios sic usque gradus contingitur imum :  
 Aut ratio, aut divina Fides; nihil inter utramque.  
 Ingenium mite Ausonidum, radicitus alte

In populo defixa Fides posuere moras ne  
 Quod fuerat magnae Germanis causa ruinae,  
 Hoc foret atque Italica, alibique veniret ad aures  
 Quidquid erat gestum, ut longe quae personat echo  
 Non tamen ut plane abfuerint mala semina morbi.  
 Namque ubi se Ausonia erexit, somnumque removit,  
 Artes ingenuae exulta, Parnassia rupes  
 Carminibus modulata novis, Sophiaeque magistra,  
 Ut quondam fuerat, toto praefulsit in orbe,  
 Inflavit plures ventosa superbia mentes,  
 Quae in Fidei damnum naturae iura ferebant  
 Fas ultra ad caelum. Tectum velut indicat ignem  
 Erumpens flamma, haud aliter figmenta per oras  
 Serpere tunc nostras, furtimque effervere visum,  
 Scilicet oppressa, at seri praenuntia damni.

## II.

Verum inter Fidei osores eiusque sequaces  
 Qui medium tenuere viam « Proh Iupiter alme ! ». .  
 Hic me interpellant acris dieteria Pappi,  
 Qui haud modicus semper, rebus sed forte novarum,  
 Intactae Fidei studio, teterrimus hostis,  
 Qui novos homines nigro detruderet orco :  
 « Rebus in adversis medium ! Fugitne cerebrum ?  
 « Scilicet et socii coeant calor ignis et unda !  
 » Quod nemini auditum. Caveat qui talia tentat  
 « Eveniat ne forte sibi quod contigit illi,  
 « Qui temere iactans cunctas absolvere lites,  
 « Dum medium inquirit, sperans ab utrisque probari  
 « Displieuit cunctis, abiitque irrisus ». At audi :  
 Quae modo doctrinae vigeant, queis fontibus ortae  
 In diversa trahant mentes, ex ordine dicam.  
 Stagirae sophiam veteres tenuere magistri,  
 Queis bene per sensus, uti sunt, res mente videntur,

Harumque interius verax exsurgit imago,  
 Illico naturae firmis mens viribus acta,  
 Comparat, adiungit, minuit, sensuque remota  
 Iudicia efformans, sensim sese explicat omnem,  
 Verumque assequitur quacumque ex parte renidet :  
 Res magna in semet, viva omnipotentis imago.  
 Cum vero in terris nil sit sibi causa, suique  
 Effectus, patet hinc hominem non vivere quemquam,  
 Non volucrem caeli tenues se ferre per auras,  
 Non florem campis usquam succrescere, Numen  
 E quibus attingi haud possit ratione sagaci.  
 Putida ! conclamat, merces non unius assis  
 Inque aevum a cunctis vix amandanda vetustum !  
 Si verum quacumque patet cognoscere quaeris,  
 Theutonicos sectare sophos, quorum haec elementa :  
 Nil in se noscunt, species tantummodo rerum  
 Sensibus accipiunt, quae rebus inesse videntur  
 Cum re non existent nisi nostra in mente. Proinde  
 Non potis est aliquis sensu cognoscere quidquam,  
 Et minus ad primam sermone assurgere causam.  
 Est igitur Numen res nostrae impervia menti,  
 Quod quantum a vera noscis ratione recedat.  
 Nam cum sint species simplex illusio, qua quis  
 Rebus inesse putat mentis quod origine manat,  
 Ut nihil valeat nuda experientia sensus,  
 Res non sunt quia sunt, sed sunt namque esse videntur.  
 At canimus surdis, caecosque adducimus; haerent  
 In placitis hi namque suis: falsisque elementis  
 Quisque videt quae monstra ferant dehinc intima rerum.  
 Quid sit Religio, quoniamque a fonte oriatur,  
 Explorare opus est, eiusque agnoscere causam.  
 Reiectis his unde Deus ratione probatur,  
 Quaeque olim nostri Fidei argumenta vocabant,  
 Religio intra hominis septum quaerenda nec ultra,  
 Namque illic reperire datur velut insita in ipsa  
 Natura, ceu forma manens atque intima vitae.  
 Cuius at a cordis sensu quia germina surgunt,  
 Fertur homo ad Numen quoties hoc sentit egere.  
 Haec autem assidue quia non sentitur egestas,  
 Sed certis vitae adiunctis, inconscius eius  
 Est animus, subterque latet non cognita menti.  
 Et cum Religio nequeat sine Numine fingi,  
 Derivetque Fide, qua sese extollit, oportet  
 Hanc quoque manare a sensu quem gignit egestas,  
 Qui primum informis, sensim se perficit, illum ut  
 Principium arcanum fovet unde exordia duxit,  
 Vitaque paullatim sese explicat ipsam.  
 Quomodo at ignotum Numen se mentibus offert ?  
 Haudquaquam nudum, re aliqua sed semper inhaerens,  
 Quae licet historiae et sophiae sit clausa palaestris,  
 Attamen illarum duplice praeccluditur orbe,  
 Quorum alter constat spectabilis ordine mundi,  
 Alterius fons est animus sibi conscientius. Horum ut  
 Quaeque suos tetigit fines, non amplius ultra  
 Incedit, Numenque haud notum protinus illi  
 Sese offert ultro, quacumque ab origine manet.

Divini studium, quamvis non conscientia sit mens,  
Tunc agitat pectus iam pronum ad Religionem,  
Ac sensum sub corde ciet, cui Numinis haeret  
Notio, et inde Fides primordia Religionis.  
Haec rem pervadens, cui ignotum Numen adhaeret,  
Occupat atque illinc aevique locique remotis  
Adiunctis, prorsus removet deletque figuram  
Qua viguit, vitamque suam communicat illi.  
(*Ad proximum numerum.*)

P. RECANATESI.

## DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

**De iudicio pratico penitus inquiritur; seu de iudicio consilii et de iudicio executionis (1).**

**MODERNISTA.** — Quae explanationes sane non modicam lucem et claritatem undique spargunt. Etsi autem consequentias mihi videre videar, et difficultates inde evanescere, a te tamen explicitiores solutiones quaerere liceat.

Quarum difficultatum prima ista est, quod ex una quidem parte voluntas velle nihil potest, nisi materialiter per iudicium rationis practicum determinetur: imo ex altera voluntas, te iudice, discordare nequit a iudicio rationis practico. Unde corrumpere omnino videtur libertas, siquidem voluntas sic determinata non potest neque velle aut non velle, neque velle unum et velle oppositum; quum tamen apud omnes libertas passim audiat et definiatur facultas, quae omnibus requisitis ad velle munita, apta est ad velle et non velle, ad velle istud aut aliud.

**THOMISTA.** — Data et non simpliciter concessa illa libertatis definitio, seu rectius descriptione, respondeo negando suppositum, nempe quod voluntas per iudicium practicum determinata sensu praedicto, non possit oppositum velle: non quidem ita ut sub uno eodemque iudicio practico contraria velle absolute possit, sed ita ut iudicium illud dimittere possit, aliudque efformare valeat, indeque opposita divisim velle, et quidem, dum unum vult, se aliud posse velle homo agens sciat et sentiat, etsi de facto aliud non velit.

**M.** — Sed tamen primum iudicium, prout antecedens omnem electionem liberam, non est liberum, sed naturale: neque proinde liberum esse potest quidquid ab eodem procedit tamquam a principio: eo magis quod, licet voluntas sit libertatis subiectum, ratio ipsa est eiusdem causa, ut volunt Thomistae.

**T.** — Iudicium quidem primum et electio quoad bonum universale revera destituuntur; secus

autem iudicium et electio quoad bonum particulare. Istud quidem in illo continetur, non tamen adaequat: atque inde fit ut bonum particulare alliciat, quia est quasi pars boni universalis, quod in bona particularia distribuitur: sed tamen non determinat absque usu libertatis. Homo, inquam, bonum in communi non dominatur, sed eidem subiicitur atque adhaeret sine libertate; bona autem particularia dominatur, atque ius inter unum et alterum eligendi ex natura propria servat, et cum libertate utitur. Iudicia igitur particularia, licet vim sortiantur a iudicio primo et quidem non libero, sunt tamen libera, propter obiectum particulare, ad quod homo intendere potest. Neque ulli difficultatem ingerat quod liber esse possit actus procedens ab actu necessario, sicut quod procedat creatura contingens a Creatore qui est necessarius. Ita Angelicus: « Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat ut in beatitudinem feratur, secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis, quae adinvenit in hoc vel illo summum bonum hominis; et ideo quandocumque aliquis beatitudinem appetit actualiter, coniungitur ibi appetitus naturalis et appetitus rationalis. Quandoque est ibi rectitudo, quando scilicet appetitur ibi beatitudo ubi vere est; quandoque autem perversitas, quando appetitur ubi vere non est: et sic in appetitu beatitudinis potest aliquis vel mereri adiuncta gratia, vel demererri ». (1) Unde nullus datur actus liber qui simul non sit naturalis.

**M.** — Sed saltem ubi urget praeceptum aliquid faciendi propter finem illum, tunc omne iudicium verum debet proponere obiectum determinate ut unicum medium necessarium et adhibendum: unde voluntas ex eo procedens, non potest aliud libere eligere, quia medium illud non proponitur cum indifferentia ad libertatem requisita.

**T.** — Potest tamen finem illum negligere et dimittere, et alium sibi proponere, aliaque proinde media. Ita homo, postquam per plures annos intenderit ad finem suum ultimum, perverti potest, in oblivionem mittendo finem ultimum, reponendo finem in voluptatibus mundanis, inhiando divitiis, concupiscentiis et aliis huiusmodi. Ratio est quia perceptio ultimi finis non est eiusdem ipsa possessio, neque omnem capacitatem felicitatis in terris implet.

**M.** — Nonne tamen sibi contradicunt Thomistae ubi mox contendunt iudicium proponere obiectum cum indifferentia, mox vero voluntatem non determinari nisi iudicio determinato ad unum prae ceteris eligendum?

**T.** — Contradiccio mihi nuspiciam appareat, si omni-

(1) Cfr. num. sup., ubi in pag. 101 col. 1, lin. 45 et 50 legendum est: « stat » pro « sedet ».

(1) *Sent. IV*, dist. 49, q. 1, n. 3, *quaestione*. 3.

recte percipientur. Iudicium quidem practicum determinatum est ad unum prae ceteris eligendum: attamen est contingenter determinatum, atque conscientiam committatur quae dictat huiusmodi iudicium esse de bono aliquo particulari, proinde immutari posse, tum ex parte intellectus, qui res sub alio respectu considerare, primumque iudicium interrumpere potest, tum ex parte voluntatis, quae ad alia proinde sese convertendi facultatem retinet.

M. — Nonne vero certum est hominem non ita esse rerum dominum ut in potestate eius sit quid voluerit proponere intellectui proprio? Ubi autem intellectus sufficienter ab obiectis tangatur, inde statim in actum proprium exit. Si autem voluntas non potest velle contrarium eius quod dictat intellectus, inde sequitur hominem esse determinatum a rebus, proindeque libertate destitui.

T. — Sed tamen falsum est non posse componi malam electionem in agendis cum illa cognitione speculativa, ut supra diximus: negamus enim id solum, nempe componi posse cum iudicio practico electionem contraria, manente illo iudicio, sed contendimus haberi posse divisim, interrupto scilicet praedicto iudicio.

M. — Quid igitur respondes iis qui de doctrina thomistica colligunt nullum posse ex malitia aut contemptu peccare, si concedatur voluntatem semper id appetere quod appetendum demonstrat intellectus aut ratio?

T. — Respondeo, illos parum se doctrinae thomisticae gnarus ostendere. Illi quippe qui peccant ex malitia aut contemptu, scientia speculativa sciunt se male agere, cum qua tamen scientia speculativa componere sane possunt iudicium practicum oppositum et electionem pessimam, nempe legem sic cognitam infringendi.

M. — Nihil ergo remanet quod amplius explicari cupiam. Gratias igitur accipe quam maximas pro omnibus expositis et explanatis.

T. — Concludam igitur argumentum hisce verbis brevioribus, scilicet: Potentia liberi arbitrii ad opposita, quamvis sit potentia compositionis et simultatis, respectu ad omnia illa ad « velle » requisita quae antecedunt usum libertatis, attamen respectu eorum quae requiruntur ut voluntas determinate velit unum prae alio, et quae non antecedunt usum libertatis, non est potentia simultatis, seu compositionis, sed simultas potentiae et sensus divisi, ideoque salva libertate, iudicium practicum, ultimum, absolutum et determinatum, determinat voluntatem ad specificationem actus, ita ut ex iudicio durante et non reiecto, ubi voluntas in actum exit, velit infallibiliter, non tamen necessario, illud quod praedicto iudicio approbatum est.

I. I. B.

## Stili lapidarii elementa<sup>(1)</sup>

Sit itaque inscriptio sacelli privati:

SACRVM  
CAELESTI . REGINAE . MARIAE . OPIFERAE  
ET . STEPHANO . ARCHIMARTYRI  
AC . LAVRENTIO . MARTYRI  
CUSTODIBUS . DOMUS

Exemplum inscriptionis sacelli publici:

VIRGINI . MAGNAE  
MARIAE . PERDOLENTI  
SACRVM  
IOANNES . PATRITIVS  
DE . MUNERE . EIVS . SOSPES  
DEDICAVIT  
QUOD  
ANNO . MDCCCIII  
NONIS . APRILIBUS  
VIM . IGNIS . INNOCUAM . EXPERTVS  
CONTRA . AETERNI . IGNIS . INCENDIA  
SIBI . PROPITIAM . POLLICETUR

Inscriptio sacelli cuiusdam in Ecclesia Ferrarensi existentis:

HONORI  
NICOLAI . SANCTI  
PRAESTITIS . SOSPITATORIS  
IGNATIVS . FANANVS . ARCHIT.  
PRAEP . SODALIVM . EIVS  
QUOD  
ANNO . MDCCCLXXXV  
XII . KAL . IVN.  
DE . SVMMO . AEDIS . PEGMATE  
LAPSVS . IN PRAECEPS  
OPE . IMPLORATA  
EXTREMVM . DISCRIMEN . PEDE . ALTERO . SVSPENSVS  
EVASERIT  
VOTVM . MERITO . SOLVIT

### II. DE INSCRIPTIONIBUS HONORARIIS.

Exempla dictionis simplicis:

C . IVLIO . C . F . CAESARI  
IMP . TRIVMVIRO . R . P . C .  
PATRONO

D . D .

R. P. C. — rei publicae constituenda — D. D. decreto Decurionum.

*Patronus*, cui respondet Cliens, est qui alterum tueritur, ac defendit. Patroni deinde dicti sunt, qui provinciarum, et nationum Romae subditarum res et negotia Romae defendebant. Hinc mos de quo Cicero (*De offic. lib. I, cap. II*) ut qui civitates, vel nationes devictas

(1) Cfr. num. sup.

bello in fidem receperissent, earum patroni essent more maiorum. Quoniam vero patronorum officia fuerunt ut clientes tuerentur, his incognita iura traderent, causamque eorum defenderent, hinc Patronus idem ac Orator qui causam dicit (1); translate vero pro quolibet defensore. Est etiam patronus relativus liberti.

SENATVS . POPVLVS . QVE . ROMANVS  
IMP . CAESARI . DIVI . F . COS . QVINCT.  
COS . DESIGN . SEX . IMP . SEPT.  
REPUBLICA . CONSERVATA

Statua, quae hunc titulum habet, post Actiacum bellum et captam Alexandriam C. Caesari Octaviano posita est.

NERONI . CLAVDIO . DRVSO . GER . COS . DESIG.  
EQVESTER . ORDO . PRINCIPI . IVVENT.

Princeps iuventutis sub libera civitate fuit iuvenis inter aequales excellens et nondum honores adeptus. Sub Imperatoribus haesit hoc nomen eorum filiis. Hic iuventutis nomine equestrem ordinem intelligi oportere Norisius auctor est.

Addo exemplum dictionis ornatae:

SENATVS . POPVLVSQVE . ROMANVS  
IMP . CAES . DIVI . NERVAE . F . NERVAE  
TRAIANO . AVG . GERM . DACICO . PONTIF.  
MAXIMO . TRIB . POT . XVII . IMP . VI . COS . VI . P.P.  
AD . DECLARANDVM . QVANTAE . ALTITVDINIS  
MONS . ET . LOCVS . TANTIS . OPERIBVS . SIT . EGESTVS

Ita inscriptum est in basi columnae Traiani, quam Dio, et Xiphilinus ab ipso Imperatore, inscriptio vero ipsa ab Senatu, et Pop. Rom. collocatam docet. Illa *tanta opera* forum ipsum erat cum porticibus, templum, triumphalis arcus, bibliotheca, basilica, quibus Traiani operibus quantum areae opus erat tantum egesta terra, et complanata Quirinalis montis parte factum est. Aliud exemplum in arcu Septimii Severi.

Sint denique exempla dictionis singularis:

IMPERATORI . CAESARI . DIVI  
TRAIANI . PARTHICI . FILIO  
DIVI . NERVAE . NEPOTI  
TRAIANO . HADRIANO  
AVG . PONT . MAXIMO  
TRIB . POT . XVII . COS . III . P . P.  
COLONIA . HOSTIA  
CONSERVATA . ET . AVCTA  
OMNI . INDVLGENTIA . ET  
LIBERALITATE . EIVS

Hostiam in ore Tiberis ab Anco conditam, salinasque circa factas tradit Plinius. Quid ea Colonia Hadriano debuerit non facile reperies.

FLAVIO . FVRIO . FAVSTO . V . C . TRIBVNO  
AB . ORIGINE . PATRONO  
OB . MERITA , LABORVM . SVORVM . VNIVERSVS . ORDO  
ET . POPVLVS . SVRRENTINORVM

(1) Italie Avvocato.

STATVAM . NOBILITATI . EIVS  
FACIENDAM . CVRAVIMVS

Tribunus supra numerum, ideo legio non additur, in qua tribunatum gesserit. - *Ab origine* idem quod alibi ab avo, et maioribus, vel ab atavis Patronus.

Quoniam inscriptiones honorariae foeminis positae aliquid peculiare habent, eas separatim addit Morelli, ad quem lectorem delegamus.

*(Ad proximum numerum)*

## SCENA MARITIMA

*Omnes pisces maris manui vestrae  
traditi sunt.*  
*(GEN. IX, 2).*

*Mite sub aurora findit mare cymbulae carina  
Rorantis aurae spiritu propulsa;  
Laetior audaci, quam Thessalus argonauta remex  
Ad auferendos Colchidos capillos  
Trusit in Oceanum, conducitur: e mari ad penates  
Opes frementi gestabit alno.  
Navita iam coepit submittere piscibus gravandum,  
Magna levis spe, rete: densa carpat  
Agmina, queis soboles cum coniuge garrulis patella  
Domi fruentur hortuli sub umbra!  
Delius interea ortu se extulit aureus, iubarque  
Littus petenti e carboso reflectit.  
Cara tori consors sabulo sedet, adiicitque fixos  
Nunc filiis, nunc caerulis ocellos;  
Dum puer, infestus cancris, cito quos adindit algis,  
Pedes tenellos recreat quieti  
Undis Neptuni, permollibus excili susurris,  
Udas puella dum venusta arenas  
Fluctu se eripiens fodicat, breve fertque gestiendo  
Salum parenti in fulgurante concha.  
Cymbula fit propior; cophinos vigil aptat uxor; ora  
Sinum tumentis anxie pererrant...  
Qualiter exiliunt pisces! quot et ecce cymbulam implet!  
Salmo, reflexus conger, atque laetus  
Emicat hic rhombus!... Plausum edite, gratias agentes  
Deo, qui iniquas comprimat procellas,  
Delphinasy vagos, ne retia distrahan rapina,  
Non ulli in oras pellat hospitales.  
Romae.*

THOMAS VIGNAS, Sch. P.

## EX ITALIS URBIBUS

**De Maria Chlotilde e Sabaudica gente, Victorii Emmanuelis II regis filia, vita functa.**

In regalibus aedibus apud Montem Calerium, in agro Taurinensi, septimo kal. Iulias anno labente in suorum complexu, quum sanctissimis religionibus rite esset saepius perfuncta, vitam placide finivit Maria Chlotildes e Sabaudica gente, Victorii Emmanuelis II, regis, filia.

Pene puella, amissa matre, sanctissima disciplina exulta, domesticas virtutes ita arripuit, ut in omnium exemplum elucesceret. Percrebrente eius virtutum fama, vixdum quindecim annos nata, difficillimis excedentibus temporibus, in foederis pignus atque in spem regni, nupsit Hieronymo principi, qui erat Napoleonis Tertii consobrinus, rerum omnium tune temporis arbitri atque patroni. Lutetiae Parisiorum, in illa urbe totius Europae capite ac praesidio, christianae virtutis miraculo clarior, antiquae sanctitatis imaginem omnibus admirantibus expressit. Benignitate, suaviloquenter, religione, vel inter multas vitae difficultates ita Eugeniae imperatrici Augustae placuit, ut ob ingenii quoque cultum ei unice esset dilecta.

Exactis a Gallia imperatoribus, postquam miserrime debellatum est ad Sedunum a Gallis, volens et sine vi, e regno illo tot aerumnis cooperto atque in servile pistrinum detruso, ad suos tandem rediit. Tunc ipse pater, ut eius maerorem aliquantis per levaret, Castrum regium ei suisque obtulit, quod domus Augusta apud Montem Calerium amplissimis viridariis extruxerat, operibusque udo illitis signisque marmoreis, sibi, feriis autumnaliis, animi causa, decoraverat. Ibi, curis publicis vacua, miram in familia regunda providentiam et sedulitatem exhibuit. Benigna, innocens, comis tanta fuit in egenos humanitatem, ut se ipsam ulti negligere videretur. Dei amorem et religionis studium cum perpetua in infirmos liberalitate coniunxit. Nullius infortunium a se alienum putavit. Passim per compita uno ore salutabatur: *En domus Regiae sancta, vel conceptissimis verbis: Nostra en sancta.*

Amisso viro, quo cum vixit coniunctissime, quemque moriturum ad christianos mores perduxit, unicum orbitatis solatium putavit, vel aere exiguo, mortales benefactis demereri, pueros in re angusta impense fovere, ludos iuventuti tutandae atque instituendae aperire, Ecclesiam novis semper muneribus augere. Integrae vero naturae nulla in re nimia esse quam videri bona maluit.

Extremo vitae suae tempore, labante in dies valitudine, diuturnis doloribus afflictata, mirabilis constantiae exemplum omnibus reliquit.

Vixit annos octo ac sexaginta.

Eius funus acerbum fuit patriae, grave bonis omnibus, luctuosum suis tam cari capitum desiderio infelicissimis.

SUBALPINUS.

## PAROEMIAE SIVE ADAGIA

**Quid distent aera lupinis.**

Proverbii faciem habet, quod est apud Horatium:

*Non tamen ignorat quid distent aera lupinis.*

Id est: novit discrimen rerum vilium et pretiosarum. Agit autem Horatius de iis, qui beneficia non ita conferunt in quosvis, veluti abiiciant, sed ita collocant ut expendant, et eius meritum ac dignitatem, cui praestant, et pretium munieris quod largiuntur. Porro lupini utilitatem proverbialiter notavit et Juvenalis:

*Tunicam mihi malo lupini,*

*Quam si me toto laudet vicinia pago.*

Notat etiam Lucianus in libello *De mercede servientibus*, quum rogat, num usque adeo defuerit lupini et aquae fontanae copia, ut in eam sese coniiceret servitutem.

**Procul a pedibus equinis.**

Vulgo dicitur quum significant fugiendum esse periculum. Hac voce: « Extra pedes equinos » Graeci monere consueverunt, ut quisque sibi caveret in certaminibus equestribus. Ea deinde proverbii vice usurpata.

**Fenestram aperire.**

Idem est atque occasionem ac veluti ansam ministrare. Terentius (*Eautontimorumenos*): « Hui quantam fenestram ad nequitiam patefeceris! » Venerum hoc non nisi in malam partem, illud etiam in bonam: « Aperire ianuam ». Plinius Suetonio Tranquillo: « Atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa ianuam famae patefecit ». Plutarchus in libro de *Osiride*: « Magna impiae plebi repugula aperuerunt ». Eiusdem formae et illud Ciceronis pro Planco: « Quamquam qua nolui ianua in causam ingressus sum ». Item illa: Aperire viam — Praestruere viam — Praecludere viam — Iacere fundamenta, etc.

**Mordere frenum.**

« Mordere frenum » D. Brutus (lib. *Epistol. Fam. xi*) posuisse videtur pro eo quod est vel leviter repugnare servituti: « Si frenum momorderis, peream, si te omnes, quotquot sunt, conantem loqui ferre poterunt ». Hoc est, si utcumque significaveris te servitutem iniquo animo ferre. Ad hanc sententiam faciunt quae respondet Cicero: « Si timidus - inquit - essem, tamen ista epistola omnem mihi

metum abstersisses; sed ut mones, frenum mordi. Etenim qui te incluso, omnem spem habuerim in te, quid nunc putas? » Quamquam Papirius in *Epithalamio Stellae et Violantillae* in diversum sensum usurpavit, nempe pro eo quod est servitatem accipere, frenumque recipere:

*Fama tace, subiit leges et frena momordit.*

Id est, admisit vincula matrimonii.

Ceterum proverbium sumptum videtur e fabula Aeschyli, quae inscribitur *Prometheus*, in qua haec loquitur Mercurius, quae latine sonant: « Nihil mitescis precibus inflexus meis; sed frena mordens, velut indomitus pullus ferociens, habenas vincere pugnas ».

## DE OBITU BEATAE VIRGINIS

*Filios, Mater, moritura linques?*

*Virgo! peccati macula remota,*

*Laeta tu metam properas amari*

*Tangere Leti?*

*Integrale! diras tibi non paravit*

*Eva letales; neque te coagit*

*Tarda membrorum macies, Adami*

*Solvere poenam.*

*Flamma te toto, fugiente vita,*

*Corde succedit vehemens amoris.*

*Aestuas inter tua iam fovere*

*Brachia natum.*

*Ocius tergens oculos madentes*

*Audiet Iesus gemitum doloris;*

*Spiritum carae Genitricis Ipse*

*Excipit ulnis.*

*Ipse te mortis rigidis ab oris*

*Aureo ducet solio triumphi,*

*Unde materno miseros sereno*

*Respic vultu!*

Prairie du Chien, Wisconsin, U. S. A.

OWEN L. LEWIS.



B. *Mariae Virginis obitus*, — Tabula NICOLAI PHILOTHESSI (vulgo *Cola della Matrice*) in pinacoteca Capitolina asservata. (Photographice expresserunt Fratres Aliari, Florentiae).

## COLLOQUIA LATINA

### Petitio Iusus <sup>(1)</sup>

PHILIPPU<sup>2</sup>. — Memoriter memini, Praeceptor, dixisse te aliquando nobis necessariam esse in rebus vicissitudinem, nec durare posse quod alterna requie careat.

MAGISTER. — Quid tum postea? Quam ob causam tu id mihi nunc subiicis?

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit I. F.

PH. — Haud sane inconsulto ac temere tuam usurpavi sententiam.

M. — Ergo cur usurpas? Dic.

PH. — Quoniam res quaedam est, quam me a benignitate tua impetratam auferre volo.

M. — Memora, puer.

PH. — Si moleste non es latus.

M. — Nisi tu iniustum quid a me petas, indigne non feram, quidquid petiveris. Nam ut iusta ab iniustis petere insipientia est, sic iniusta a iustis impetrari non decet.

PH. — Ne tibi lubeat sinistrum suspicari. Iusti ab iustis iustus sum orator datus, et advenio omnibus lubentibus, ut quod in rem nostram communem sit, hoc a tua lenitate obtineam.

M. — Eloquere, quid est quod obtainere gestis?

PH. — Paulum est.

M. — Quin tu uno verbo dic, quid est?

PH. — Iam dies effluxere complures, ex quo libris semper affixi fuimus.

M. — Trabalibus clavis opinor. Subolet quorum eversurus sit. Bene habent tibi principia. Per texe telam, sed apte, ut ne compellam te retexere.

PH. — Et exercitationibus auditionum, scriptorum, recitationum, concertationum pene exhausti sumus.

M. — Itane vero? Exhausti? O me in discipulos atrocem, o crudelem!

PH. — Nec unquam nobis vel ad momentum respirare, viresque fessas reparare datum est.

M. — Ut res suas exaggerat!... Quodque contritum est vetustate proverbium: «Ex musca elephantum»!

PH. — Quare vehementer etiam atq; e etiam te rogamus, Praeceptor, pomeridianis horis ad lusum remissionemque animi descendere tuo concessu licitum sit.

M. — Aequissimum postulas. Verum ego his conditionibus potestatem largior. Ut absque tumultu ludatis, neve quis alteri turbas ciere insistat. Ut ante horam quintam ad libellos redeatis. Ut deinceps manibus pedibusque, cum hasta, cum scuto, quod aiunt, ad vestra studia incumbatis.

PH. — Iustae conditiones. Accipimus, ut prota schola respondeam.

M. Capesse itaque cursum; condiscipulos affice tam bono nuncio.

PH. — Heus, heus, puer!...

PUERORUM TURBA. — Num quidnam apportas novi? Frontem exporrexisti; hoc omen placet.

PH. — Oneratum laetitia pectus apporto. Ego vester hodie orator et exorator fui apud Magistrum.

P. T. — In quo?

PH. — In ludendi venia.

P. T. — Voluptatem magnam nuncias. Habeamus ergo rem factam.

PH. — Bene, factum est, et volup' est.

P. T. — Dii te bene ament! Ludemus igitur.

PH. — Nisi mavultis inhaerere libris.

P. T. — Valeant libri. Ludamus, socii; euge, ludamus!

PH. — Silete; non permittit gratis ludere.

P. T. — Qua mercede?

PH. — Ut absque inconditis clamoribus, absque strepitu, crepitu, fremitu.

P. T. — Fiet.

PH. — Ut ante horam quintam nos ad libros recipiamus.

P. T. — Fiet.

PH. — Ut deinceps nervis omnibus discamus. Et hic melius est respondere «fiat», quam «fiet»; optare quam promittere.

## ACTA PONTIFICIA

**SSmi. D. N. Pii PP. X Motu proprio de diebus festis.**

Supremi Disciplinae Ecclesiasticae custodes et Moderatores Pontifices Romani, si quando christiani populi bonum id Ipsis suaderet, sacrorum Canonum sanctiones relaxare benigne consueverunt. Nos quidem Ipsi, quemadmodum iam alia, ob mutatas temporum et civilis societatis conditions, immutanda existimavimus, ita etiam in praesens ecclesiasticam legem de festis diebus ex pracepto servandis, ob peculiaria aetatis adiuncta, opportune temperanda n censemus. Lata enim terrarum marisque spatia, mira nunc celeritate homines percurrunt, faciliorunque per expeditiora itinera aditum ad eas nationes nanciscuntur, quibus minor est festivitatum de pracepto numerus. Aucta etiam commercia, et citatae negotiorum tractationes videntur ex interposita frequentium festorum dierum mora aliquid pati. Succrescens denique in dies rerum ad vitam necessariarum pre'ium stimulos addit, ne saepius servilia opera ab illis intermittantur qui us est victus labore comparandus.

His de causis iteratae preces, praesertim postremis hisce temporibus, Sanctae Sedi adhibitae sunt ut festivitatum de pracepto numerus minueretur.

Haec omnia Nobis animo repetentibus, qui unam christiani populi salutem cordi habemus, opportunum maxime consilium visum est festos dies ex Ecclesiae mandato servandos imminuere.

Itaque, Motu Proprio et matura deliberatione Nostra, adhibitoque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui ad Ecclesiae leges in Codicem redigendas incumbunt, haec quae sequuntur de festis diebus edicimus observanda:

I. Ecclesiastico pracepto audiendi Sacri et abstinenti ab operibus servilibus hi tantum, qui sequuntur, dies subiecti manebunt: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Aliae Genitricis Dei Mariae, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

II. Dies festi Sancti Joseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis, et Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, uterque cum octava, celebrabuntur, tamquam in

sede propria, prior, Dominica insequente diem XIX Martii, immo to permanente festo si dies XIX in Dominicam incidat; alter, Dominica quae festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum antecedat. Festum vero Sanctissimi Corporis Christi, idemque cum octava privilegiata, Dominica post Sanctissimam Trinitatem, tamquam in sede propria, celebrabitur, statuta pro festo Sanctissimi Cordis Iesu feria VI intra octavam.

III. Ecclesiastico praecepto, quod supra diximus, dies festi Patronorum non subiacent. Locorum autem Ordinarii possunt solemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem.

IV. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis Episcopi conservandum censuerint, Sanctae Sedi rem deferant.

V. Quod si in aliquod ex festis quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio consecratus, ab utroque dispensamus; eamdemque dispensationem etiam pro Patronorum festis, hac Nostra lege abolitis, concedimus, si tamen solemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.

Novum Apostolicae sollicitudinis argumentum huiusmodi praebentes, spem Nos certam fovemus, fideles universos iis etiam diebus, quos nunc de numero festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, non minus quam antea, fore testatuos, ceterisque diebus festis, qui in Ecclesia servandi supersunt, diligentiore, quam antehac, studio conservandum praeceptum curaturos.

Contrariis quibusvis, licet speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xi mensis Iulii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIVS PP. X.

## EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

### SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

#### Ex Congregatione de Religiosis.

*Dubia de manuscriptis religiosorum typis edendis.*

I. An Religiosi pertinentes ad Instituta votorum simplicium iisdem teneantur legibus ac Regulares votorum solemnium, quod *Imprimatur* seu beneplacitum a suis Superioribus expostulandum, quoties aliquod suum manuscriptum in lucem edere cupiant? — *Resp.* Affirmative.

II. An Religiosi, quoties eis a suis Moderatoribus publicatio alicuius manuscripti fuerit interdicta, vel *Im-*

*primatur* denegatum, possint idem manuscriptum alicui typographo tradere, qui illud publicet cum *Imprimatur* Ordinarii loci, suppresso auctoris nomine? — *Resp.* Negative.

#### Ex Congregatione Rituum.

*Dubia ci ca expositionem et benedictionem SSmi. Sacramenti.*

I. Defectu ministrorum et cantorum licetne Missam Votivam SSmi. Sacramenti, in expositione vel reposizione pro Oratione XL Horarum, celebrare sine cantu; et totam functionem sine cantu peragere simili modo quo fit Feria V in Coena Domini, secundum Memoriale Rituum?

II. Licetne legere aut omittere missam Votivam celebrandam secunda die in Oratione XL Horarum?

III. Est ne necessarium Indultum, ut in Oratione XL Horarum expositio ac adoratio suspendatur horis nocturnis? — *Resp.* (ad I-II-III): Ad effectum Indulgenciarum et privilegii Altarium necessarium esse Indultum a S. Congregatione S. Officii expetendum, ut derogetur formae Clementinae Instructionis. Alias Episcopus utatur iure suo, sed circa Missas Votivas serventur Rubricae et Decreta, nisi exstet vel obtineatur speciale Indultum.

IV. Quum difficile sit habere thronum expositionis inamovibile, nisi Crux ponatur in eo; quaeritur: Utrum liceat super tabernaculum erigere inamovibile thronum, seu parvum ciborium fixum pro expositione SSmi. Sacramenti; an debeat erigi thronus tantummodo propter expositionem et amoveri post expositionem? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

V. Num liceat thronum expositionis construere in muro paucis metris ab altari seiuncto? — *Resp.* Affirmative, dummodo thronus expositionis haud nimis distet ab altari, cum quo debet quid unum efficere.

VI. Utrum alio throno, seu baldachino parvo, opus sit ad expositionem SSmi. Sacramenti, ubi magnum baldachinum, seu ciborium invenitur? — *Resp.* In casu servari potest consuetudo quae viget.

VII. Licetne laicis tangere Ostensorium sine privilegio Apostolico, quod requiritur ad tangenda vasa sacra? — *Resp.* Serventur decreta.

VIII. Debetne Ostensorium cooperiri velo albo, quando stat in altari ante et post expositionem SSmi. Sacramenti? — *Resp.* Affirmative.

IX. Cuiusnam coloris debet esse stola presbyteri exponentis, quando benedictio SSmi. Sacramenti immediate sequitur Vespertas solemnes, nec celebrans cum pluvialistis secedit a choro? — *Resp.* Eiusdem coloris ac paramenta celebrantis.

X. Utrum cuiilibet celebranti, an soli Episcopo vel Praelato, liceat genuflexo manere super pulvinari in infimo gradu altaris? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

XI. An Ordinarius, in medio sanctuario benedictioni SSmi. Sacramenti assistens cum cappa, debeat adorare

utroque genu, quando ad incensandum accedit ad altare, vel ab eo recedit? — *Resp.* Affirmative in casu.

(Ex decr. *Westmonasterien.* d. xxvii mens. Maii MCMXI).

*Dubia varia.*

I. Utrum Decreto 8 Maii 1899, *Augustodunen.* seu *Galliarum*, extendente Officium et Missam S. Odilonis, Abbatis Cluniacensis, sub ritu duplici minori, ad cunctas Galliarum Ecclesias, obligatio facta fuerit omnibus Galliarum dioecesibus illud adoptandi, vel simpliciter haec extensio non sit nisi facultas? — *Resp.* Singulis petentibus S. Congregatio reservavit sibi concessionem, iuxta Decretum citatum.

II. Utrum dies 7 Iulii sit quasi-natalitia pro SS. Cyrillo et Methodio, Epp. Conf. iuxta Martyrologium Romanum? — *Resp.* Affirmative.

III. Si in tertio Nocturno alicuius sancti vel Mysterii, Lectiones de Homilia excerptae sunt ex operibus eiusdem Sancti, aut sunt historicae circa Mysterium, utrum tres Lectiones debeant in duas redigi, ut fit in festo S. Hilarii, Ep. Conf. Doct., in casu quo nona Lectio legi debeat de alio officio eodem die commemorato? — *Resp.* Decernendum in casibus particularibus.

IV. Ubi S. Silvester est Patronus vel Titularis, utrum secundae eius Vespere sumenda sint de Communi Confessoris Pontificis, vel usque ad Capitulum dicendae sint de Nativitate ut in aliis diebus infra Octavam? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

V. Quum nuptiae celebratae fuerint tempore prohibito, et sponsi postea benedictionem nuptiale petierint, iuxta decretum S. C. U. I. diei 31 Augusti 1881, utrum eligendus sit dies in quo Missa votiva pro sponsis dici possit, ut praetendunt aliqui, innixi super Decretum Generale de Missis votivis diei 30 Ianuarii 1896, vel in casu benedictio nuptialis impertiri possit infra Missam, puta de festo duplici 2 classis cum commemoratione pro sponsis, iuxta rubricam in capite Missae pro sponsis positam? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

VI. Utrum ad impertiendam benedictionem nuptiam post tempus feriatum coniugibus antea matrimonio iunctis, necessaria sit praesentia amborum, vel sufficiat solius sponsae? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

VII. Utrum in Ecclesiis parochialibus unam tantum Missam habentibus, parochi debeant ad normam decreti n. 3887 diei 21 Februarii 1896, Missam pro populo applicandam iuxta officium diei celebrare, etiam in Dominicis ad quas iussu Card. Caprara transferuntur solemnitates Epiphaniae Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ad praecepit Patroni loci, atque etiam quorundam aliorum festorum ex peculiaribus Indultis, vel possint per Missam dictarum so-

lemnitatuum oneri suo satisfacere? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

VIII. Utrum solemnitates iussu Card. Caprara ad Dominicam proxime sequentem translatae, ceteraeque ex Indulso particulari similiter facienda, celebrari debeant an possint etiam in Oratoriis semipublicis, ubi singulis Dominicis solet Missa cantari? — *Resp.* Solemnitates enunciatas celebrari posse in Oratoriis semi-publicis de quibus agitur in decreto n. 4007, diei 23 Ianuarii 1899.

IX. Si extra expositionem XL Horarum, et Festum SS. Corporis Christi, fieri contingat expositio SS. Sacramenti immediate post Missam, Hostia debeatne intra hanc Missam consecrari, vel accipi possit Hostia iam prius consecrata? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

X. Quatenus affirmative ad secundam partem; utrum Hostia iam antea consecrata ponit in Ostensorio ante purificationem et ablutionem, vel exspectari debeat usque ad expletum ultimum Evangelium? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

XI. Utrum celebrans in Vesperis solemnibus possit stolam induere sub pluviali a principio Officii, quum immediate post Vespertas, quin ipse recedata Presbyterio, fiat expositio cum benedictione SS. Sacramenti? — *Resp.* Affirmative.

XII. Utrum Processio cum SSmo. Eucharistiae Sacramento, quae immediate ut supra subsequitur Vespertas cum paramentis rubris vel viridibus cantatas, cum iisdem fieri debeat, vel albi coloris assumi debeant paramenta? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

XIII. In benedictione olei Catechumenorum, feria V Coenae Domini, Rubrica Pontificalis statuit: « Duodecim sacerdotes reverenter salutant oleum ipsum dicentes: Ave sanctum oleum ». Haec verba: « reverenter salutant » suntne ita interpretanda ut debeat fieri genuflexio, sicut ad Sanctum Chrisma, vel simplex inclinatio capitis? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

(Ex decr. *Baionen.* d. xxvii mens. Maii MCMXI).

XIV. Ubi festum Titularis ex longaeva consuetudine celebratur ad instar Patronorum, Dominica infra Octavam eiusdem cum concursu populi, per unam Missam solemnem de Festo cum commemoratione Dominicæ, utrum solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli in Galliis praecepsiva, debeat huic praeferriri, vel in aliam subsequentem Dominicam reponi, utpote non praecepsiva, sed tantum permissa? — *Resp.* In casu praferatur solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli in Galliis praecepsiva.

XV. Utrum laico Missae inservienti ministrari possit Sacra Communio intra presbyterium et in ora suppedanei altaris, etiamsi non sit indutus habitu clericali? — *Resp.* Affirmative.

XVI. Utrum preces post Missam privatam iussu Leonis XIII dicendae, omitti debeant post Missam votivam lectam de SS. Corde Iesu, prima cuiusque mensis feria VI celebratam cum privilegiis Missae votivae solemnis pro re gravi? — *Resp.* Missa de qua in precibus habeatur uti solemnis, eique applicare potest decretum num. 3697, *Ordin's Minorum Capuccinorum S. Francisci*, 7 Decembris 1888, ad VII.

XVII. Quando celebrans ad Vespertas coram SSmo. Sacramento exposito Officium facit ad scannum, debetne, quum accedit ad medium altaris ad «Magnificat», genuflectere unico genu super infimum gradum, vel utroque genu in plano? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

XVIII. Quum cantantur Vespere coram SSmo. Sacramento exposito, utrum celebrans possit a principio amictu, alba, stola et pluviali indutus Officium facere, eique Diaconus et Subdiaconus alba, dalmatica et tunica induti assistere a principio Vesperarum, ratione Processionis immediate post Vespertas instituenda, praesertim in ecclesiis quae pluribus carent pluvialibus pro assistantibus? — *Resp.* Negative.

XIX. Utrum in Quadragesima, quando Vespere immediate post Missam solemnem cantantur, celebrans possit pluviali super albam et stolam indutus Officium facere cum assistentia Diaconi et Subdiaconi dalmatica et tunica indutorum? — *Resp.* Negative.

XX. Utrum iuxta Decreta 23 Novembris 1906, *Dubia ad XI, et Februarii 1907, Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae ad X, Oratio Deus cuius misericordiae non est numerus* in functione Tridui vel Octidui intra annum post Beatificationem vel Canonizationem, cantari debeat ante *Tantum ergo*, vel in hoc casu servari debeat specialis dispositio Decreti 16 Decembris 1902, ad VI, super privilegiis Octidui vel Tridui concedi solitis? — *Resp.* Satis provisum in decreto citato.

XXI. Utrum novendialis supplicatio, quae ex litteris Encyclicis Leonis PP. XIII, *Divinum illud munus*, diei 9 Maii 1897 Festum Pentecostes praecedere debet, incipi debeat feria VI infra Octavam Ascensionis Domini, ut terminetur in ipsa Vigilia Pentecostes, vel possit iuxta proxim huius dioeceseos incipi tantum Sabbato, ita ut finem habeat novendialis supplicatio ipso die festo Pentecostes? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

(Ex altero decr. Baion. n. d. viii mens. Iunii MCMXI).

*Dubium circa interpretationem Motus Proprii «Inter Multiplices».*

An Canonicus rite adscriptus Capitulo, quod collegialiter gaudet privilegiis seu insignibus et iuribus ad Protonotarios Apostolicos, vel supranumerarios, vel ad instar participantium pertinentibus, ius aliquod acquisierit, quo inter Praelatos Domesticos cum expeditione Brevis recenseatur? — *Resp.* Negative, et adscriptio nem coetui Praelatorum Domesticorum unice pendere

ex benigna liberalitate Summi Pontificis, attentis, in singulis casibus, omnibus circumstantiis et specialibus meritis personae.

(Ex deer. d. xxiv mens. Maii MCMXI).

## DIARIUM VATICANUM

### Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliasque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Aloisius Barberini, Urbanus Princeps; Sublacense Municipium grates agens Pontifici ob munificas largitiones civitati sua factas; Ioannes Schönburg-Hartenstein, Princeps, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Austrorum Hungarorumque apud Apostolicam Sedem; Otto Von Muehlberg, doctor, eodem munere fungens pro Borussicis; De Leiningen-Billigheim, Comes; D'Erp, dynasta, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Belgarum apud Apostolicam Sedem.

### Pontificiae electiones.

*Nominationes episcoporum.* — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SSmus. D. N. Pius X quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Tit. eccl. arch. Cianae praefecit revnum. Ioannem Keane, hactenus archiepiscopum Dubuquensem; Cath. eccl. Atrebateni revnum. Aemilium Ludovicum Cornelium Lobbeday, hactenus episcopum Molinensem; Cath. eccl. Molinensi sac. Ioan. Bapt. Senon, parochum decanum S. Mariae Magdalene in archidioecesi Aquensi; Cath. eccl. Lincolnensi revnum. Ioannem Henricum Tihen, vicarium generalem episcopi Wichtensis; Cath. eccl. S. Georgii Terrae Novae sac. Michaelem Franciscum Power, archidioecesis S. Ioannis Terrae Novae; Cath. eccl. Pelotensi sac. Franciscum de Campos Barreto, parochum S. Crucis in urbe Campinensi; Cath. eccl. Aracajuensi sac. Iosephum Thomam Gomes de Silva, secretarium diocesis Parahybensis; Cath. eccl. Florestensi sac. Alvarum Augustum de Silva, parochum S. Iosephi loci vulgo Recife, in archidioecesi Olindensi; Cath. eccl. S. Aloisii de Caceres sacerdotem Modestum Augustum Vieira, parochum loci vulgo Caratinga, in archidioecesi Mariannensi; Cath. eccl. Uruguayanensi sacerdotem Hermetem Iosephum Pinheiro, parochum in civitate loci vulgo Recife, archidioecesis Olindensis; Metropolitanae eccl. Philadelphie: si revnum. Edmundum Franciscum Prendergast, hactenus episcopum tit. Scillitanum et administratorem eiusdem archidioecesis.

— RR. dd. Franciscus Parrillo, Vinculi Defensor apud S. Romanae Rotae tribunal, et Aloisius Copéré, Procurator Generalis Societatis Mariae, inter Consultores S. Congregationis Concilii adleguntur.

### Varia.

Die xx mensis Iulii, in Xystino Sacello, adstante Pontifice iusta funebria Leoni PP. XIII persolvuntur, octavo recurrente anno ab eius obitu.

# ANNALES

## Mauritanae res.

Mauritana res novis indesinenter argumentis Europaeorum mentes occupat, alio aliud subsequente. Ecce enim ex improviso vox diffunditur bellicam Germanorum navem ad Agadir, Mauritanum portum oceanii Atlantici, appulisse, militesque expositos loco potitos esse. Graves inde in Germaniam incusationes, quae necessitatem suam exponit subditos suos illic habitantes Mauritanorum in liberam potestatem relictos defendendi.

Dum haec inter Germaniam et Galliam perpenduntur atque concordi animo explanantur, dissensiones aliae exoriuntur inter Gallos ipsos et Hispanos, qui ad El Ksar oppidum descendunt, et dicuntur Gallicum consulem cōviciis corripuisse. Hispanicum gubernium Gallico satisfacere conatur, consulique suo deposito, cui illa (merito an immrito nihil refert) tribuuntur, novum sufficit; at..., centurio quidam Gallicus in vincula ab Hispanis coniicietur. Quid? Utraque pars se defendit ac sua iura tuetur; garritur interim, blateratur, ac... teritur aestivum tempus.

## Ex Orientalibus Europae regionibus.

Orientales eventus narramus, siquidem non de unica Albanensi seditione iam agitur, sed de incerto aliarum etiam regionum statu. Heic enim Turcicum gubernium, auxilio etiam Scodrensis episcopi fultum, frustra Melissores ad pacem suadet; inde Montis Nigri exercitus in armis ponitur. Id equidem Turcarum suspiciones excitat, quas ii quibus prodest tenuare contendunt, necessitatem sibi adducentes Turcas copias ad fines suos effuse congregatas librandi. Interim certum est seditionem ex Albania ad Epirum usque pervenisse, et Chefket Turgut Pachae missionem in incassum omnino cessisse,

## Ex Perside.

At Persis quoque his diebus exagitatur. Dicunt enim, quum imperii rector auctoritatem suam et pueri regis extra urbem imperii ipsius caput servare non valisset, Mohamed Ali, Caesarem illum solio depulsum an. MCMXI, nullo homine ei aditum litoris adimente, in Persidem revertisse, et copias nunc colligere, quibus thronum sit recuperaturus.

Si rosae erunt florebunt... heu vero cum spinis suis!

*Qui corpus exercent et negligunt animam imprudenter agunt, principem partem negligent, ut subiectam et infam excolant.*

PLATO, in *Chyrophon'e.*

## PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** dissensio inter populares oratores et proceres perdurat, neque lex de utriusque coetus iuribus finiendis ferri licet.

In **Austria** novum administratorum collegium constitutum, praeside Gautich dynasta; novaque coetus publici sessiones regali oratione inchoatae.

In **Gallia** de iure suffragii innovando disceptatio perdurat; rationes acceptorum et expensarum non sine difficultate ratae habitae.

In **Hungaria** in legem de militaribus expensis augendis acerrimae contradictiones aguntur a factiobibus, quibus Iusth atque Kossuth praesunt.

In **Italia** ob aestivas ferias lex monopolium civitatis constituens circa vitam parsimonia defendendam ad Novembrem mensem dilata, post legis eiusdem fundamentum positum.

In **Lusitania** «constituens» coetus de novo civitatis regimine principia agit adhuc.

In **Serbia** Milovanovits novum administratorum collegium composuit ex «radicalium» factione.

## PER ORBEM

Die II mens. Iunii MCMXI, Iussuf Igzedine, Turcarum princeps imperii haeres, Romam advenit.

— d. III aviatore quinque Britannicum fretum feliciter transmittunt.

— d. V in regali italico castro Stupinigi rapido morbo absunitur Maria Pia e Sabaudica gente princeps foemina, Aloisii, Lusitani regis, vidua, cui nupserat an. MDCCCLXII. Nata erat Augustae Taurinorum die XVI mens. Octobris MDCCCXLVII.

— d. VII Lutetiae Parisiorum aereo certamini, cui Europaeo nomen inditum, finis imponitur. Beaumont, Gallicae classis centurio, victor salutatur.

— d. VIII vehemens terrae motus per Hungariam fit, plurima damna afferens.

— d. IX per Germaniam omnem regalis stirpis de Hohenzollern v centenaria sollemnis fauste agitur.

— d. XI Parisiis moritur Aemilius Lavasseur, inter sapientes viros nostrae aetatis late celebratus.

— d. XIII immane incendium Detroit, in opido Americanae regionis Michigan, exortum, plura alia oppida solo aequat. Ignis via ad ducenta millia passuum usque extenditur.

— d. XV Erie in Americis, Ioannes Mars; et Iuliae Caesareae, Paillon, aviatore, tristi fato occumbunt. Sic aviationis victimae ad centum et vinti numerantur!

— d. XVI nunciatur historicum castrum S. Angeli ad Laudensem urbem flammis assumptum.

-- d. xviii Aethiopica legatio Europae nationes invisens, in Italiam pervenit.

— d. xx Carrariae in marmoreis fodiinis saxi magna moles, ex improviso decerpta et in fundum praecipitans, opifices quindecim misere sepelit.

— d. xxiii, dolo an malo fato ignoratur, Stamboul vicus Constantinopolitanae civitatis, et proximi circum, succenduntur.

— d. xxiv similia Fontainebleau, nemori illi apud Lutetiam Parisiorum notissimo, accident.

— d. xxv Iadera, inter moniales S. Francisci, placide obit Catharina Tommaseo, filia clarissimi Nicolai illius Italorum philosophi et viri multarum litterarum.

— d. xxvii ex Iaponia nunciant atram proclam in Tokium et Iokoamam urbes saevisse centum et ultra incolarum caede.

— d. xxviii inundationes Yang-Tse regionem in Sinis vastant ubermque messem omnino disperdunt.

— d. xxix Lutetiae Parisiorum, Nassum Pacha, Turcarum legatus apud Gallos, improvisa morte extinguitur.

## LIBRORUM RECENSIO

*Historia Ecclesiastica*, auctore D. ANTONIO WEISS, Prof. in Universitate Graecensi I. et II. Graecii (Graz). Styria, 1907, 1910 (xii et 798, viii et 693, pp.)

Hodiernis diebus inter cetera ecclesiastica studia forsitan maxime historiae sacrae operam dant docti et erudit. Magnus numerus compendiorum et «manualium» cuiusque linguae ultimis decenniis in lucem prodierunt, quae aliis et aliis virtutibus laudibusque excellunt. Inter quae doctissimi Professoris Graecensis historia ecclesiastica locum praecipuum obtinet. Duo volumina iam edita historiam antiquitatis et medii aevi continent.

Raro fortasse tanta principiorum veritas et soliditas, tanta in Ecclesiam fidelitas cum pari investigandi libertate ingenuitateque concorditer iunguntur. Lucidissima perspicuitate auctor personas et eventus describit, quae in res et fata temporum maxime influebant. Inter quae pauca solum adducam capita: Originem et evolutiones Arianorum, problema Honorii Papae, donationem Patrimonii S. Petri, reformationem tempore Gregorii VII, gravissimas contentiones inter potestatem civilem et ecclesiasticam tempore Alexandri III, Innocentii III, et Bonifacii VIII, gravissima pericula et diversissimos casus et eventus schismatis occidentalis et captivitatis Avenionensis. Quasi sculptoris manu eximia arte auctor celeberrimos Pontifices plastice et corporaliter nobis oculos ponit. Nemo certe negabit res gestas in omnibus paginis operis sine ira et studio, remota omni iniusta benevolentia et aversione, esse expositas, ita ut quivis

veritatis amans verissimam tum antiquorum tum medioaevalium temporum imaginem et conspectum abunde inde acquirere possit.

Experientia magistra docet, quanta subsidia ad docendum et discendum afferat bona dispositio; id quod etiam hoc opus optime praestat, et res graviores et minores suo loco ponendo et distinguendo, ita ut omnia pro suo merito facile animis infigantur et tenaciter memoria teneantur. Quo fit, ut haec historia ecclesiastica et magistrorum et discipulorum indigenitiae mire videatur accommodata. Praeter principiorum rationem et sentiarum luciditatem quamquam grata simplicitas nusquam desit, congruens nitor stili moderatusque ornatus orationis iucunditatem legentibus parat; quare non dubitandum, quin praestabile hoc opus, omnibus numeris absolutum, optimi cuiusque laudem approbationemque assequatur et uberrimo fructu non caret.

P. FRIDOLINUS O. S. B.

## AENIGMATA

### I.

Si prius imbre volat conspersum, posterius fit.  
Ominis et ipsa volat saepe sub aethera res.

### II.

Non prius; ipse etenim haud habeo tibi, amice, secundum.  
Sacra Iovi totum urbs Hellade in occidua.

M. I. S.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

PLINII EPISTOLAE

(Edid. KEIL)

Aenigmata an. XIV, n. V proposita his respondent:

1) Avīs ; 2) Ros-a

Ea rite soluta miserunt:

Fr. Baturewicz, Zytomiria. — Guil. Schenz, Ratisbona. — Ant. Faverzani, Merato. — Luc. Rhaetus, Bucarestino. — A. Renevey, Estavayer-le-Lac. — Ioan. Biava, Bergomo. — Greg. Cleary, Roma. — Alex. P. Gest, Trentonio. — Petrus Tergestinus. — Eug. Dolmar, Neo-Eboraco. — Vinc. Starace; Alex. Pintauro, Neapol. — F. Guerra, Aleto. — Lud. Goux, Bitturicis. — Alb. Kain, Dublino. — Lud. Dubois, Massilia. — Georg. Archanbeault, Quebeco. — F. Wawer, Marianopoli. — F. X. M., Drepano. — P. Prado, Venetiis. — A. Bouin, Aureliano. — Rich. Brondel, Brugis. — Alb. Perraud, Lutetia Parisiorum. — Ad. Kozlowski, Petricovia. — Frid. Horwath, Vindobona. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone. — St. Pini, Mediolano. — St. Kempa, Agrodiuia. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio. — Barth. Ferraris, Augusta Taurinorm. — Iac. Menendez, Madrito.

Sortitus est praemium:

IACOBUS MENENDEZ,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS

sive

DE PROVECTA LATINITATE

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

# EUPLIUS

(9)

*Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.*

FELIX.

Is?

OCRIS.

Ipse! Nec possum quidquam confidere;  
Res urget tempus....

FELIX.

At tempus tu redimes  
Postea cursu, vales namque cruribus.

Veni nunc in aedes, falernum dabo  
Tibi quod amissas vires restituant.

OCRIS.

Dabis?

FELIX.

Sic me... Nec addam verbum in posterum.

OCRIS.

Eamus intro! Bibam... Sic fortifico  
Iecur meum lorica falerni triplici,  
Et aptius feriam! Tibi, Mercuri,  
Grates quod dederis patronum splen idum (*signat Felicem*).

FELIX.

Eamus! (4) Veritas per vinum dicitur.  
Quid sint moliti perfidi per ordinem  
Sciam, probe! Puer loquetur rusticus,  
Loquens hic non modo, sed prorsus eloquens...  
Sic felix postea nominabor optime. (*introit*)

## SCENA VI.

NONNULLI CIVES.

I CIVIS.

Seis quod per urbem nuper effunditur?

II CIVIS.

Quid?

I CIVIS.

Nescis?

II CIVIS.

Admodum!

I CIVIS.

Volusius dicitur  
Fuisse a servis potionatus callide!

II CIVIS.

Sed cur? Mali quid fecerit Volusius?  
Bonus, lenis, comis, dulcis alloquio...  
In medium pingue fundit patrimonium...  
Et ipsi servi pergraecantur saepius,  
Viventes more libérum quotidie!

I CIVIS.

Christiana dicunt fateri dogmata.

(1) Quasi alio versus.

II CIVIS.

Quid hinc?

III CIVIS.

In Caesarem crimen esse creditur.

IV CIVIS.

In ipsis aedibus mors ei traditur,  
Quodque crudelius, suis a famulis,  
Habet quos filios uti carissimos.

I CIVIS.

Boni datique fructus sunt mixti toxicis.

II. CIVIS.

Movet quis pessimus culparum seriem!  
Quis est hic?

III CIVIS.

Dicam, probe si taceas?

I CIVIS.

Iuvat quid amplius tenere silentium?  
Loquentur ipsi mox viarum lapides.

IV CIVIS.

Unus occultus adhibet qui machinas...

II CIVIS.

Quis ergo?

III CIVIS.

Est Calvisianus.

I CIVIS.

Ipse! En venit.

## SCENA VII.

CALVISIANUS et CIVES.

CALVISIANUS.

Quid ore, cives, mussitatis, pessimi?  
Quid hic confertis subdolis rumoribus?

I. CIVIS.

Nobis hunc locum dixerant spectaculis!

II. CIVIS.

Ad hoc venimus!

CALVISIANUS.

Haud licet!

I. CIVIS.

Quid prohibet?

CALVISIANUS.

Spectaculum dicitis? Redite serius!

Nunc hinc abite!

I. CIVIS.

Cur?

CALVISIANUS.

Ita mihi placet.

II. CIVIS.

Sed....

CALVISIANUS.

Vultis hinc me furca vos repellere?

Abite vos recto, abite in malam crucem! (*exeunt*).

(*Ad proximum numerum*).